

Quo pietas, bonitas, dilectio sancta, recedis?
 Quo moriens terris, splendide pastor, abis?
 O dolor et luctus miseris semper renovandus,
 Dum tua non nobis se facies dederit!
 Te recipit tellus octavo Martis in idus
 Et tibi commissum linquis ovile sacrum¹⁾.
 Attamen orbatu quo possunt pectore poscunt,
 Ut careas pēnis omnibus atque malis!
 Vir celebris, sapiens, Gauzlineque dulce vocamen,
 Perpes cum sanctis en requies tibi sit!²⁾

75. Epitaphium vero ipsius patris praefatus Odo elegiaco metro hoc edidit modo:³⁾

Dulce decus regni latet hic sub marmore tristi;
 Grandis honor patrię iacet hic sub pulvere terre.
 Hic, Gauzline, tibi requies finisque laboris,
 Dum veniet dominus dare digna piis, mala pravis.
 Petre sacer, Benedicte pater, sacra virgo Maria,
 Phenore multiplici servum dotate fidelem.
 Securus maneat, tetri non sentiat ignes,
 Ferte manum, baratri; felix sed luceat astris
 Splendidior claris. Sic fiat, dicite cuncti.
 Octavas Martis lūstrabat Apollo fenestras,
 Cum fera mors famulis rapuit hęc gaudia mestis.
 Pro quo funde preces quisquis haec scripta recurris.

76⁴⁾. Obiit autem venerabilis Gauzlinus, abba Floriacensium et archipresul Bituricensium, anno dominice incarnationis millesimo XXIX, indictione VII, anno autem sui regiminis XXV, porro a restauratione templi IV, VIII. idus Marcii⁵⁾, medię quadragesimę dominica⁶⁾, ipsius noctis prima conticinii hora, pergens ad dominum cui omnia vivunt per immortalia secula seculorum. Amen.

1) So aus: suorum von einer späteren Hand, nicht der des Correctors, verbessert. 2) Eine andere gleichzeitige Grabschrift: Baluze, Miscell. ed. Mansi, IV, 15. Delisle giebt einen genaueren Text. 3) Publicirt auch bei: Mabillon, Ann. IV, 354. Hist. litt. de la France, VII, 281 und Bouquet, X, 326 (Delisle). 4) Dieses Capitel: Gallia christ. VIII, 1552. 5) Hs.: marci. 6) Da der Sonntag mediae quadragesimae erst im Jahre 1030 auf den 8. März fällt, so ersehen wir hieraus, dass der Verfasser der Vita das Jahr bis zum 25. März rechnet.
